Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

filiorū· intelliguntur remuneratio operū· Spūalis ē
itaq; ista psapia· quia & in iuda processit initium
confessionū· & in ruben succedunt incrementa uir-
tutum· Qui si prius ponerentur· ordo natiuitatis
ecclē confunderetur· Prius enim recedimus a malis
p̄ confessionem· deinde pficimus ad sequenda bona·
ut informemur rectis & placitis· Post ruben recte
ponitur· gad· qui temptatio interpratur· quia
bene operantes solet pbare temptatio· Vnde
cuidam dicitur· quia acceptus eras dō· necesse fuit
ut temptatio pbaret te· Et quia sci contra easdē
temptationes diuina uirtute precincti fortes ex
istunt· recte idem gad accinctus uocatur· Vnde psal-
mista dicit· Precinxisti me uirtute ad bellū· Et qa
sci clauso ostio orant patrē· & sua opera in quantū pos-
sunt fauori humano celant· ut qui uidet in abscōso
eis reddat· recte eis etiam conuenit· quod idem gad
latrunculus dicitur· Et quia illata temptatio probatos
coronat· congrue post gad a· ser· ponitur· qui beatus
interpratur· Vnde est· Beatus uir· qui suffert tempta-
tionē· Certa autē sci de ista promissione· n̄ solū patiēt
illata sibi pferunt mala· sed etiam in ipsis tribulati-
onibus confortati a latitudine caritatis n̄ recedunt
atq; ideirco bene post a· ser· neptalim ponitur· qui
latitudo interpretatur· Ser· illud enim mandatum
currunt· de quo psalmista dicit· latū mandatū tuū
nimis· Et quia p̄ hoc amplissimū dilectionis precep-
tum gradientes ea quē retro sunt obliuioni tradunt·
& iuxta se extendunt· seq; pegrinos in hac uita ex